

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Predestinatio siue prouidencia diuina f
cum fonte primo

Nemo uenit nisi tractus.

Quare illum trahat et illum non
trahat? Noli uelle iudicare, si non uis
errare. Semel accipe et intellige.
Nondum traheris? Ora ut traheris.

Ramum uiridem ostendis oui et trahis
illam. Noces puero demonstrantur et
trahitur, et quo currit trahitur, amando
trahitur, sine lesione corporis trahitur,
cordis uinculo trahitur.

Augustinus super Iohannem omelia
XXVII.

Nemo uenit nisi tractus.

Quem trahat et quem non trahat,
quare illum trahat et illum non
trahat, noli uelle iudicare, si non uis
errare. Semel accipe, et intellege:
Nondum traheris? Ora ut traharis.

Augustinus Hipponensis, *In Iohannis
euangelium tractatus CXXIV.*, 26, 2
(CCSL 36, R. Willems ed., p.260, ll.6-
9).

Ramum uiridem ostendis oui, et trahis
illam. Noces puero demonstrantur, et
trahitur; et quo currit trahitur, amando
trahitur, sine laesione corporis trahitur,
cordis uinculo trahitur.

Augustinus Hipponensis, *In Iohannis
euangelium tractatus CXXIV.*, 26, 5
(CCSL 36, R. Willems ed., p.262, ll.25-
28).